



Vperiore item valli fundamento hunc in modum lineamentis conformato, proximum est vt mœnium, quibus superius eius pavimentum conuenit obsepri, rationem formamq; definiamus, denuo quibus suprà vsi sumus characteribus depictis, vt hinc in muro apertiones ei aculandis tormentis conuenienter destinari queant. Primùm igitur in exteriori muro fornicato ac rotundo apertionibus perforatis, definiētur maioribus bombardis stationes, æquis mutuò spatiis dissite: id quod hac uia legitimè cōfeceris. Prima fenestra, in i. pūcto, muro interstructa, sex inde aliæ (ab i utroq; versum ternæ) inter d. i. & i. e. spatiis ex æquo interpositis cōparandæ sunt maioribus tormentis, quarum omnium aditus versus k. spectent. Ac murus qua binis fenestris intercipitur, pristinam obtinebit crassitiem, vt robore suppetente ad hostium missilia validè confutanda, tutò post eum subsidere liceat. Ideoq; si exilior, quàm vt tormentorum impetentium vim iniuriasq; commodè perferat, non satis tutam nobis defensionem pollicebitur, conandum vt ad sui radicē substructionibus amplificatus ibiq; vallo innixus firmitatis plus fortiatur, spemq; protectionis certiore præbeat. Cæterùm huic muro tectoria nulla superstruentur, id quod & infra, vbi structuram operis attollam, perscriptis lineamentis exprimam. Porro murulus, qui à thorace tutando appellationē sortitur, pro fenestris trium pedum crassitudine attolletur, vt bombardæ non nihil præ ipso foràs exertæ, nullo obstante, globos in hostem destinatū perferant. Nisi enim tormentum ore præter murum supra quem incubat, porrectū sit, fiet vt missile uel aëre refracto, vel collisione fortuita quauis impeditum, ac velut exorbitans, longè aliò quàm destinatum est, feratur, temereq; uolitans iaculatore concepta opinione frustret. Iā vbi in hac linea murus ille exilior siue thorax finitur, ibi bombardarum stationes septem pedes, ad frontem verò decem laxæ conficiuntur: vbi & anguli exteriores ad circinationis finitionem rescindendi sunt, vt apertio orbicularem figuram imitetur. Vermù introrsum versus ponè, stationes singulæ vt minimum viginti pedum occupēt interuallum, vt utroq; versū put vel vsus ratio vel defensionis necessitas postulauerit, tormenta possint expedite dimoueri. Deinceps quā murus directus utrinq; d. e. finibus committitur circulari, singula conficiuntur minora tormentorum receptacula, frontem versus duobus, ponè decem pedibus lata, à quibus singulis k versus paries seu murus ducendus est: atq; hæc serpentibus, & id genus minoribus sunt machinis destinata. Sub hæc in singulis quoq; muri lateribus, nimirum intra l. d. & m. e. fenestra instruēda, consimili prorsum modo quo maiusculæ à nobis antè perscriptæ sunt, quod & hæc non secus atq; illæ grandioribus tormentis cōstruuntur. Ab hinc proximè in l. m. muro directo cōparabitur alia statio item maiuscula, ad eius quā ex aduerso spectat, imitatione m cōposita. Sic itaq; huius valli postica stationibus instructa, ex maioribus machinis triū capax erit, ac siquidem murus iste exilior est quàm qui ad frontē est vallo superinductus, ideo & secundum hunc stationes fiunt contractiores, vt cum ad frontem valli singulæ viginti, in postica quindecim pedum introrsum occupent latitudinem. Iam tri-